

Bellarmin à Juste Lipse.

Clarissime vir.

Quod mihi purpuram gratularis, amplector benevolentiam, excuso errorem: nihil enim, mihi crede, in hoc honoris gradu experior aliud, nisi periculosissimam solicitudinem. Adolescentem à te missum vere 5 gemmulam esse, cum testimonium tuum, tum praesentia eius mihi facile persuasit. Et iam annulum aureum nactus eram, cui praeclararam illam gemmam aptissime illigarem; sed valde timui, ne repentinus quidam casus, qui bonum adolescentem in patriam revocabat, vel gemmam annulo, vel annulum gemmae invideret, et ipse in patria dum detrimentum rerum 10 timet, detrimentum fidei patiatur. Caeterum re tota maturius considerata, per literas negotia domestica procuravit, et Illustrissimo mihi amicissimo Cardinali me auctore adhaesit. Vale, vir clarissime, meque tibi merito tuo addictissimum, ut facis, ama. Romae XI Calend.

Decembris 1599.

15

Amicus ex animo

Robertus Card. Bellarminus.

Fonds Bellarm. 5, f.132. Minute du secrétaire, avec corrections et additions du cardinal. Fuligatti, Epp. familiares, II.